





QUÆSTIO MEDICA,

Quodlibetariis Quæstionibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 31ª Decembris 1716.

M. JOANNE-BAPTISTA DOYE, Doctore Medico, Præside.

An præcellentia Medicorum ab Idiosyncrasiarum accuratiori notitiâ?

I.

ELEMENTA Peripatetica-ne, an Chymica, profitearis, parùm refert, modò quæ scaturiunt ex elementorum conjugiis crases diligenter internoscas. Hæ mille sunt, quot in orbe figuræ. Temperamenta vocant Medici; quæ nituntur ad summa genera revocare; atque hæc sæpenumerò nominibus humorum appellant; & in universum temperamenta biliosa, pituitosa, melancholica, sanguinea nuncupantur : Non arrident omnibus ista prædicamenta. Temperamentum enim non in humoribus, nec ab humoribus; sed ab anterioribus vitæ principiis, nimirùm à semine & à sanguine menstruo : (scilicet ab ovo, vel à vermibus hominem subnasci commentum.) Ac nedum temperamentum ab humoribus sobolescat, humores nanciscuntur indolem temperamenti. Non tàm à cibis sulphureis biliosa fiunt viscera, quàm à sulphureis visceribus evadunt biliosa nutrimenta. Nam quantumvis abundent cibi sulphuribus, si phlegmatico

& torpido ventriculo demergantur, exoleſcit ut plurimùm eorum vis, & qui conficitur ex eis chylus ſanguiſ-ve brevi fit evanidus. Hîc murus aheneus eſto, temperamentum genuinum cognoſcere, quod, vel ſi furcâ velis expellere, tamen uſque recurrit.

I I.

A Temperamento vivendi, valendi, & ægrotandi cauſæ; Nîque fauſtum & favorabile ſit, fruſtrà ſuſcipitur morborum curatio. Gaudeat εὔσαρκος, præditus viſceribus vividis, ad ſecretiones inprimis apprimè concinnatis; unde non interturbentur vitæ munia, &, ſi qui ſubrepunt obices, facilè ſolvantur. Rara avis. Nam mortalibus, ex quo tellus cœpta coli, nunquam ſincera bonorum ſors ulli conceſſa viro eſt. Suam Idioſyncraſiam quiſque ſortitur naſcendo, ſine vitiis nullam; optima hæc eſt quæ minimis urgetur. Inde morborum & lethi neceſſitas; ſed inde ſingulariter morbi peculiares & proprii, qui, quantùmvis videantur non abſimilibus aliorum hominum morbis affines, diſcrepant tamen plurimùm pro ægrotantium diverſitate, multùmque diverſas ſuadent medicandi rationes. Hoc opus, hic labor eſt intimas temperamentorum differentias rimari, perſpicere. Oedipi ſoli potuêre.

I I I.

TEMPERAMENTORUM ingenia dignoſcuntur ex habitudine corporis; ex functionibus phyſicis; atque ex his quæ corpori proſunt & obſunt. Inter habitudines præferuntor carnoſæ, non pingues; firmæ, non molles. Phyſicas inter functiones, Chyloſeos inprimis habitor ratio. Inter ea denique quæ proſunt, ea quæ generatìm hominibus familiaria ſunt & utilia præ cæteris æſtimantor. Habitudo carnoſa denotat Evœmiam, & Evœmia viſcerum Eucraſin, quam qui ab imaginario æquilibrio derivant, non minùs obtusè ſentiunt, quàm qui temperamentum olim admitte-

bant ad pondus. Exquisita Chylosis, quam ad tritum referre, videtur esse occillantis hominis; ad fermentationem verò, hominis inquieti; perfectam Oulomeliæ corporis indicat diathesin; etenim in ventriculum refluere solent aliarum coctionum vitia; quibus amotis, jucundè potitur appetentiâ suâ naturali; quam hîc liceat definire sensationem ab exhaustione, rectiùs quàm à præpollente Acido, quo Eheu quando desinent acescere & flaccescere ratiocinationes Medicorum! Tandem vulgaria vitæ fulcimina valetudinem designant non titubantem, sed vegetam. Extraordinaria vivendi norma hominem arguit imbecillum.

I V.

VERUM homines benemulti gracili sunt habitudine corporis, & agunt vitam tamen beatam. Nonnulli delicato admodùm sunt stomacho, vivunt & parvo benè. Quidam insolentium & inusitatorum ciborum sunt cupidissimi, nutriuntur & illis feliciter. Tres tibi Convivæ propè dissentire videntur. Renuitur ab illo, quod jubetur ab altero. Hic vel solidissima quæque dissolvit, offenditur ille vel mollissimis. Dulcibus hic gaudet, hic delectatur amaris. Nonnullis pariunt pinguia nauseam, quæ sunt suavia plurimis. Talia & alia multa quotidie comperiuntur, quæ infinita propemodùm esse temperamentorum discrimina comprobant; quibus sanè Medicum intentum esse necesse est, tùm ut convenientes sanitatis tuendæ leges imperet unicuique, tùm ut morbos ab unoquoque tutò depellat.

V.

SCILICET in arte faciendâ non decet Medicum divagari. Non curatur Homo, sed Socrates. Exploratis pathognomonicis Idiosyncrasiarum signis, amandantur nugatoria philologorum systemata, quibus hâc ætate Medicina turgescit hydrops; nonnisi congruenter & appositè de morbis discurritur; semperque fertur æquum de morbo-

rum eventu judicium. Ubi reſtituitur ſanitas, plaudit ſibi Medicus, quòd aptum ſcienter exhibuerit remedium; ubi doctâ plus valet Arte malum, non piget Medicum aut aberrationis aut inſcitiæ: verbo dicam, nec cæcutit, nec trepidat.

Ergo præcellentia Medicorum ab Idioſyncraſiarum accuratiori notitiâ.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Franciſcus Pouſſe.	*M. Camillus Falconet, Regiæ utriuſque Aulæ Equeſtris Medicus ordinarius.*	*M. Alexander - Petrus Mattot.*
M. Thomas - Bernardus Bertrand.	*M. Hyacinthus - Theodorus Baron.*	*M. Alexius Littre, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius.*
M. Ægidius Adam.	*M. Joannes - Nicolaus de la Hire, é Regiâ Scientiarum Academiâ.*	*M. Petrus - Joannes Burette, Profeſſor Regius, & è Regiâ Numiſmatum Academiâ.*

Proponebat Pariſiis GABRIEL - ANTONIUS JACQUES, Pariſinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1716. à ſextâ ad meridiem.

Typis JACOBI QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.